



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Eligitur secunda sententia, & Praxis exponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

tifices citati à num. 361. Eandem tenet Illustrissima Franciscanorum Religio, Eximius Doctor Tomo 3. de Religione lib. 8. cap. 8. Sanchez lib. 7. in Decalogum cap. 18. Belarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Azor, Molina, Valentia, Lessius, Rebellus, Dominicus Soto, Navarrus, pluresque alij, quos citat, & sequitur Cardinalis de Lugo Disp. 2. Sect. 3. num. 45. quibus accedunt Amicus Tom. 5. Disp. 13. Palaus Disp. 1. punto 5. Raynaudus de virtutibus lib. 3. sect. 3. cap. 2. num. 141. Tamburinus lib. 8. in Decalogum Tract. 1. cap. 1. Esparza quaest. 50. Cardinalis Pallavicinus lib. 4. cap. 14. & Maurus quaest. 170.

SECTIO II.

Eligitur secunda Sententia, & Praxis exponitur.

374

ASsero I. cum Doctoribus secundae Sententiae citatae numero superiori. Simplex usus facti separabilis est à dominio in rebus, quae unico usu consumuntur. Probatur I. Potest Dominus concedere licentiam Petro ad utendum re aliqua unico usu consumptibili, quae licentia nullo alio modo concedatur, nec acceptetur, nisi ut revocabilis, & dependens semper à voluntate ejusdem Domini: atqui Petrus, qui talem licentiam haberet, non posset dici Dominus illius rei. neque licentia illa daret Petro, jus ullum proprietatis in re, sed simplicem usum licitum facti: ergo Petrus tunc haberet simplicem usum licitum facti absque ullo dominio, aut jure Proprietatis in re, proindeque in ejusmodi rebus simplex usus facti separabilis est à dominio. Consequenter, & major patet: quia nulla excogitari potest repugnantia in eo, quod Dominus eo modo licentiam concedat Petro, nec in eo, quod Petrus illam acceptet. Minor verò prob. Ea licentia satis non est, ut Petrus habeat legitimam potestatem directam, & principaliter in bonum propriae libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, quod quidem necessarium erat ad jus proprietatis, ut constat à num. 179. Cum enim ea licentia esset semper revocabilis, & dependens à voluntate Domini, quod Petrus destruat, & dissipet rem illam, aut quod dominium in alium transferat, non potest facere ex facultate, qua dicit: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, sicuti dicere potest ille, qui habet eam moralem facultatem constitutivam juris proprietatis, ut diximus supra; non enim potest Petrus ea munia tunc exercere, nisi quatenus Dominus vult illa exerceri, vel quatenus non est rationabiliter invitatus ad illa exercenda mediante Petro, tanquam instrumento: sed in eo stat, quod Petrus, qui talem licentiam haberet, non posset dici Dominus illius rei, & quod

licentia illa nullum conferat Petro jus proprietatis in re, sed simplicem usum facti: ergo &c.

Probatur 2. & explicatur ulterius eadem ratio: ille, qui renuntiat omni juri proprietatis circa bona pure externa, eò ipso renuntiat omni dominio circa illa, ut ex terminis patet: atqui talis renuntiatio componibilis est cum licito, & simplici usu facti: ergo talis usus facti separabilis est à dominio. Prob. minor: licitus usus facti dupliciter haberi potest. Primum quidem ab illo, qui re utitur ut Dominus rei. Secundò, ab illo, qui licet re non utatur ut Dominus, at illa utitur non invito rationabiliter Dominò, ut saepe diximus de paupere in extrema necessitate constituto, & docet Nicolaus III. num. sequenti asserendus: hoc autem discriminis est inter utrumque; nam Dominus utitur re sua, ac proinde non exercet simplicem usum facti, sed exercet usum juris: ille verò, qui non est Dominus, non utitur re sua, sed re solius Dñi, sub illis tamen circumstantiis, sub quibus Dominus non est rationabiliter invitatus, ac proinde non exercet usum juris, sed simplicem, & licitum usum facti: Modò sic, quando illi, qui renuntiat omni juri proprietatis circa bona externa, Dominus nihilominus concedit licentiam ad usum facti, quae revocabilis, & semper dependens est à voluntate Domini, ex vi talis licentiae non vult Dominus abdicare à se particulam aliquam domini, sed solum intendit, quod si alter re illa utatur, non faciat contra voluntatem Domini, ac proinde non exerceat usum facti illicitum, sed licitum: atqui exinde manifestè apparet, quod renuntiatio, & abdicatio juris proprietatis circa bona externa est componibilis cum licito, & simplici usu facti circa ipsa: ergo &c.

Conf. ex Nicolao III. Cap. *Exiit de verborum significatione* in sexto; ubi comparat usum facti Minoritarum cum usu facti pauperis in extrema necessitate constituti his verbis: *sicut nec ceteris, sic nec ipsis Fratribus jure poli in extrema necessitatis articulo ad providendum sustentationi necessariae via omnibus extrema necessitate detentis concessa pracluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta; nec talis abdicatio Proprietatis omnimoda renuntiationem usus rei cuiquam videatur inducere: nam cum in rebus temporalibus sit considerare praecipuum proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium; nulla prorsus potest esse Professio, quae à se usum necessariae sustentationis excludat; verum condecens fuit ei Professioni, quae spontè devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc, quod proprietatem usus, & rei*

375. *Qui cuiusquam dominium à se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciasse conuenitur, qui, inquam, usus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est, tantum in utendo prabet utentibus, nihil iuris.* Quibus verbis non solum conclusio, verum etiam ratio à nobis adducta manifestè stabilitur, & roboratur.

377. Probat 3. Qui non potest pro sua voluntate circa rem aliquam restringere moraliter libertatem alterius, non habet jus proprietatis, seu dominium circa rem illam; ut constat nu. 179. sed ille, qui circa rem aliquam habet licentiam ad simplicem usum facti, non potest pro sua voluntate restringere moraliter libertatem alterius: ergo circa rem illam habet tantum licentiam ad simplicem usum facti absque ullo jure proprietatis, seu dominio. Prob. minor: solum potest aliquis pro sua voluntate restringere moraliter libertatem alterius circa rem aliquam, dum res illa existit, & perseverat. Etenim re non perseverante, sed jam destructa, neque licite, neque illicite potest aliquis uti: atqui dum res illa perseverat, potest semper Dominus revocare licentiam, quam dederat ad simplicem usum facti, cum hoc sit de metaphysica ratione licentiæ concessæ ad simplicem usum facti, ut constat ex sæpe dictis; ergo &c.

378. Confirm. 1. Ideo Religiosi Professi cuiuscuque ordinis, licet habeant usum ciborum, aliarumque rerum, quibus ex licentia Superiorum utuntur, nullum tamen habent dominium, quia licentia illa semper est revocabilis, & dependens à voluntate Superioris, ideoque conviva non est Dominus ciborum, quæ ipsi apponuntur, licet habeant licentiam ad usum, quia ea licentia est revocabilis, semperque dependens à voluntate Domini, eademque de causâ servus habet usum cibi absque dominio: ergo simplex usus facti adhuc in his rebus, quæ unico usu consumuntur, est separabilis à dominio. Confirmatur 2. Potestas moralis constitutiva Juris Proprietatis in creatura, cum accidentalis sit, præsupponit physicam potentiam ad utendum re aliqua in commodum propriæ libertatis; additque super istam physicam potentiam facultatè legitimam se habentem ex parte potentis; ut pro libito Domini exerceri possit in commodum propriæ libertatis; unde contradistinguitur ab usu, ut constat à num. 374. atqui ea legitima facultas non reperitur in eo, qui tantum habet simplicem usum facti, quantumquidem ille non ita habet eam sibi devinctam in commodum propriæ libertatis, cum res maneat plene devincta in commodum libertatis Domini, qui circa illam simplicem usum facti tantum concessit; ergo &c.

379. Asserto 2. Non solum de possibili, verum etiam de facto Fratres Minores in rebus unico usu consumptibilibus habent simplicem usum facti absque dominio adhuc in communi.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Probat 1. Constitutio Nicolai III. quæ habetur Cap. *Exiit de verborum significatione in 6.* quantumvis in aliquibus reformata fuerit à Joanne XXII. at post ipsum redacta est ab aliis Pontificibus in pristinum vigorem, ut latè constat à num. 361. atqui in ea constitutione declaratur, Fratres Minores circa externa bona nec in speciali; nec in communi habere quicquam proprium, ut ibi fusè traditur. *s. Porro cum ipsa Regula,* simulque exponitur; eos tantummodo habere simplicem usum facti; ut constat ex verbis citatis num. 376. ergo dicendum est, quòd Fratres Minores de facto nullum omnino in ejusmodi bonis aut dominium; aut jus proprietatis habent; sed simplicem usum facti: quapropter ne alicui appareat eam extremam paupertatem commentitiam esse; nulliusque proinde meriti erga DEUM, in eodem citato *s. Porro* addit Pontifex: quam sic arctam abdicationem venenosis obreccationibus aliquorum insensata damnaverit astucia; nè Fratrum eorumdem perfectionis claritas in talium imperitis sermonibus laceretur; dicimus, quòd abdicatione proprietatis ejusmodi omnium rerum non tam in speciali; quam etiam in communi propter DEUM meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbò docuit, & exemplò firmavit.

Probat 2. Conc. Trid. citatum num. 380. excipiendo Fratres Minores, quando aliis Religionibus concedit dominium in communi, satis indicatè videtur, approbata in hoc puncto regulas, & privilegia Minoritarum, quæ ipsi habent verbo *Paupertas*, ubi statuitur ex pluribus Pontificibus, quòd circa ejusmodi bona nihil proprium habeant neque in particulari, neque in communi: ergo juxta mentem Concilii dicendum est, quòd circa ejusmodi bona habeant defacto simplicem usum facti à dominio distinctum. Confirmatur. Dominium, dum lex aliter non disponit, nequam acquiritur sine acceptatione, ut constat à num. 269. atqui Fratres Minores nolunt acceptare dominium neque in particulari, neque in communi, sed solum acceptant simplicem usum facti, neque est illa lex, quæ illis sine acceptatione dominium conferat, quin potius oppositum statuit Pontifex cit. à num. 361. atque id etiam, ut modò diximus, aperte videtur supponere ipsum Trid. ergo Fratres Minores in ejusmodi rebus nullum profus habent dominium; sed duntaxat simplicem usum facti.

Probat 3. ratione fundamentali Doctoris Seraphici, quam sic efformo: in eo differt ille, qui re aliqua utitur ut Dominus ab eo, qui ea re non utitur ut Dominus, sed ex pura licentia Domini exercet simplicem usum facti, quòd nempe ille, qui utitur ut Dominus, agit autoritative, sive ex propria Autoritate, cum dicere possit, sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas; at ille, qui non uti-

L

178

tur ut Dominus, sed ex pura licentia Domini; exercet simplicem usum facti, non agit authoritative, sive ex propria autoritate, sed ex autoritate aliena; ad eum modum, quo utuntur servi cibò Domini: atqui Fratres Minores non agunt ex propria autoritate, sed ex autoritate aliena circa res, quæ ipsis ad usum conceduntur; ergo circa ejusmodi res nullum profus habent dominium, sed simplicem duntaxat usum facti: Conseq. tenet, & major pater ex dictis numero 179. Minor verò probat. ex Doctore Seraphico, qui in expositione Regulæ S. Francisci in Cap. 6. ait, quòd duplex sit usus rerum, cum utantur quidam rebus autoritate propria ut Domini, quidam autoritate aliena ut servi; quia ergo Fratres Minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur, & in hoc ipso imitantur Dominum, qui cibò vescébatur alienò in alienis domibus continuè hospitando: ergo &c. Confirm. ex eodem Seraphico Doctore subus tradente istam doctrinam in determinationibus Quæstionum circa Regulam quæst. 24.

382. Affero 3. contra aliquos Doctores, quos sequuntur Lessius, & Maurus: pura licentia ad simplicem usum facti non concedit Fratribus Minoribus ullum jus proprietatis circa res, quibus utuntur. Probatur 1. Pura licentia ad simplicem usum facti non est facultas moralis, cur Minores Fratres rebus illis autoritative utantur, sed duntaxat ut illis utantur autoritate Domini, ut constat num. superiori; unde non est facultas in bonum propriæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, sed præcisè, ut non agant illicitè ampliandò suam, agendo nomine, & autoritate Domini; atqui ut ea licentia sit collativa juris proprietatis, satis non est, quòd aliquis possit autoritate Domini re aliqua licitè uti, nisi concedatur simul facultas ad agendum autoritative, sive ad restringendum etiam moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, ut constat à num. 179. ergo pura licentia ad simplicem usum facti non concedit Fratribus Minoribus jus ullum circa res, quibus utuntur.

383. Probatur 2. & explicatur simul eadem ratio: Hæc duo sunt toto cælo diversa, nimirum tollere ligamen, & impedimentum Personæ, ut licitè utatur re aliqua, vel tollere impedimentum, & ligamen juris, ut diximus num. 278. ergo etiam hæc duo sunt toto cælo diversa, nimirum tollere impedimentum Personæ, ut hac re licitè utatur, vel conferre personæ jus proprietatis in tali re. Pater conseq. quia sicut extrema necessitas reddit potentiam physicam pauperis expeditam, ut licitè utatur re alterius necessaria ad propriam pauperis sustentationem, quin jus in re concedat pauperi, eò quòd extrema necessitas satis non est, ut res alterius maneat ordinata

pauperi primario, & directè in bonum suæ libertatis, ut per suam voluntatem possit moraliter restringere libertatem aliorum; sed præcisè, ut utatur ea tanquam medio ad sustentandam vitam, quam sustentare tenetur; nec aliter potest, nisi utendo re alterius, in quo stat licentia Domini saltem implicita, cum in eo casu Dominus dici non possit rationabiliter invitus: ita quando Dominus dat licentiã alicui ad simplicem usum facti, solùm tollit impedimentum, quo persona erat ligata, ut absque eo ligamine potentia ejus physica possit ea re licitè uti; at cum non conferatur facultas ad utendum autoritative, sed tantùm ut instrumetum Domini, ea licentia non dat tali personæ legitimam facultatem in bonum suæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, ac proinde nullum confert jus proprietatis in re: modò sic; atqui licentia, quam Fratres Minores habent ad simplicem usum facti, non confert illis facultatem, ut agant autoritative, sed duntaxat ut instrumetum Domini, ut constat ex num. 381. ergo per talem licentiã nullum jus proprietatis in re illis confertur. Confirmatur ex Nicolao III. citato num. 376. qui Fratres Minores ibi comparat cum paupere in extrema necessitate constituto: docerque, eos tantùm habere simplicem usum facti; ergo &c.

Resp. ex Lessio Cardin. Pallavicino, & Mauro, eam licentiã concedi non posse, quin simul concedatur legitima facultas, quæ jus aliquod proprietatis afferat; nam eo ipso, quòd habeat à Domino licentiã comedendi panem Domini, habet potestatem moralem comedendi, ac restringendi libertatem Domini, ne postquam comederit, postulet solvi sibi pretium panis, vel aliud æquivalens, qua potestate caret, qui licentiã non habet, similiter qui eam licentiã obtinet, eo ipso habet potestatem moralem obligandi alios, ne ipsum impediãt ab usu talis licentiæ, & sic restringendi libertatem aliorum; cum autem talis potestas moralis sufficiens sit ad constituendum aliquod jus proprietatis, exinde nequit concedi alicui licentia ad simplicem usum facti, quin eo ipso conferatur illi aliquod jus proprietatis, quare Fratres Minores utpote ejusmodi licentiã habentes, habent etiam in rebus, quibus utuntur, aliquod jus proprietatis; nec exinde inferre licet, quòd habeant dominium, quia jus illud est revocabile, & jus revocabile non sufficit ad dominium.

Contra 1. Ea licentia non sufficit, ut Fratres Minores habeant legitimam potestatem ordinatam in bonum suæ libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum; atqui ut ipsi Adversarii fateantur, hoc requiritur ad constituendum jus proprietatis, de quo agimus; ergo ea licentia nequaquam sufficit ad conferendum illis ullum jus proprietatis. Prob. major: Ea licentia

ia, utpote purus actus secundus juris proprietatis Domini, relinquit in Domino totum jus, licet partim exercitum per licentiam, quam concedit, ut non possit non solum licite, verum neque valide exigere pretium, seu compensationem pro usu, dum Dominus revocando licentiam retineat illud jus sine eo exercitio, quo licentiam ad usum rei suae concessit, vel saltem licet alicui juri cedat, quousque nolit illud iterum reassumere, in nullum alium transfert ejusdem jus, sicut DEUS condonando peccatum cedit juri ad indignationem contra peccatorem propter peccatum, quin jus illud in alium transferat; atqui licentia, quae relinquit in Domino totum jus, ac proinde integram facultatem in bonum propriae libertatis ad restringendum moraliter per suam voluntatem libertatem aliorum, vel saltem non transfert jus in alterum, non est sufficiens, ut per illam transferatur in Fratres Minores ea legitima potestas constitutiva juris proprietatis: aliter Dominus posset per suam voluntatem facere, ut idem numero jus, vel saltem eadem numero pars juris poneretur simul in duobus subjectis realiter distinctis, quod omnino repugnare ipsi Adversarii fatentur, vel saltem facere, ut aliqui jus Domini acquirant, quin jus ullum in illis transferatur, quod non minus repugnat; ergo &c.

384. **Contra 2.** Ea licentia non sufficit, ut Fratres Minores in bonum suae libertatis possint per suam voluntatem restringere libertatem Domini, neque libertatem aliorum: ergo non sufficit ad conferendum illis ullum jus proprietatis. **Prob. antec.** licentia illa non sufficit, ut Fratres Minores agant autoritative, sed tantum ut instrumentum Domini, qui vult ratum habere, quod per illius instrumentum fit, ut constat num. 381. sed ex eo, quod non agant autoritative, sed tantum ut instrumentum Domini, non ipsi, sed Dominus suamque voluntatem restringit, aut jus suum exercendo, aut si mavis, partim cedendo ad tempus, quin pro tunc velit in ullum alium jus illud transferre, imò si quandoque transferatur, ut quando unico usu res aliqua non consumuntur, venduntur, aut commutantur, nunquam vult Dominus, quod jus illud in Fratres Minores transferatur; neque ipsi volunt jus illud acceptare, ut satis constat ex dictis, neque sunt capaces talis acceptationis, ut ex suis ipsis regulis, declarationibus, & privilegiis constat: ergo &c.

385. **Alitero 4.** Simplex usus facti earum rerum, quae unico usu consumuntur, non potest vendi retinendo earundem rerum dominium. **Prob. 1.** Nulla res est vendibilis, nisi ut affecta jure proprietatis, quo tanquam sua propria transferatur in alium propter pretium justum: atqui simplex usus facti earum rerum, quae unico usu consumuntur, non transfert ad alterum jus ullum proprietatis circa tales res, quo dici possint propriae suae utentis, ac pro-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

inde non transfert eas res ad illum, ut sibi affectas jure proprietatis; cum is, qui ad talem simplicem usum facti licentiam concedit, sibi plenum dominium retineat; ergo &c. Conseq. tener, & min. constat à num. 382. maj. verò patet, quia venditio est contractus, quo emptor transfert in venditorem jus proprietatis in pretio, & venditor transfert in emptorem jus proprietatis in re empta, proindeque venditio fieri nequaquam potest neque valide, neque licite, nisi ad emptorem transeat ex contractu res, ut sibi affecta jure proprietatis, & ad venditorem ex eodem contractu transeat pretium, ut sibi etiam affectum jure proprietatis; ergo nulla est res vendibilis, nisi ut affecta jure proprietatis, quo tanquam sua propria transferatur in alterum propter pretium justum.

Probatur 2. Eo ipso, quod aliquis rem soluto pretio valide emat, eamque ex vero contractu venditionis recipiat, manet Dominus talis rei, neque à tali emptore potest alter rem illam subripere, quin furtum committat, proindeque laedat justitiam commutativam, & jus proprietatis residens penes emptorem ex dictis num. 19. sed quando Dominus retinendo sibi dominium concedit alteri simplicem usum facti earum rerum, quae unico usu consumuntur, non facit alterum Dominum illius rei, neque furtum committet, quotiescunque voluerit illam rem sibi reassumere, ut ex terminis patet; ergo &c. **Confirm.** Ut res sit vendibilis, non sufficit, quod sit digna actione gratiarum, proindeque fundat titulum gratitudinis, sed requiritur, quod ex vi contractus venditionis sit digna pretio pertinente ad justitiam commutativam, proindeque pariat in emptore obligationem transferendi pretium in emptorem; unde si quis sine ulla praevia promissione, & obligatione poneret in me violationem beatificam, nihil possem illi debere ex justitia, & tantum illi deberem maximam gratitudinem; atqui licentia ad simplicem usum facti remanente pleno dominio penes Dominum, licet sit digna gratiarum actione, non potest fundare obligationem dandi pretium ex justitia commutativa, cum ea obligatio tantum possit oriri ex jure proprietatis, quod per illam licentiam non transfertur: ergo &c.

Probatur 3. Si simplex usus facti earum rerum, quae unico usu consumuntur, posset vendi retinendo earundem rerum dominium, eo ipso usura fieret licita: atqui usura jure naturae est prohibita, & illicita, & damnatur tum in veteri, tum in novo Testamento, tum etiam in generalibus Conciliis; dicitur enim Psalmo 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo,* & inter alia respondet Propheta, *qui pecuniam non dedit ad usuram,* & Psalmo 54. *usura numeratur inter vitia: Non defecit de plateis ejus usura, & dolus* Eg

Et Luca 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Unde in Concilio Viennensi, ut refertur Clementina Unica de usuris §. ult. & in Concilio Nicæno, ut habetur Cap. *Quantum* 14. quæst. 4. definitur, usuram esse illicitam, quin potius jure etiam naturæ est prohibita; si quidem contra jus naturæ est obligare alium ad plus tibi reddendum, quam illi dederis, quod pertinet ad usuram; nam si obligatio imponatur ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, jam non oritur ex mutuo, sed ex novo contractu, ut suo loco dicemus. Quare licet veteres Jurisconsulti Romani usuras permiserint, & actionem pro eis concesserint, leges illæ non sunt receptæ à Christianis Principibus, & correctæ sunt à Jure Canonico: ergo &c. Sillogismus est legitimus, in quo, ut ex dictis patet, sola maj. probanda superest.

390. Probatum igitur maj. ideo usura est illicita, quia transferendò vi mutui jus rei mutuatæ in alterum, obligat alterum ad plus tibi dandum, quam illi dederis: atqui si simplex usus facti, de quo agimus, posset vendi retinendò dominium, posses etiam obligare alium ad plus tibi reddendum, quam illi dederis: ergo &c. Probatum min. si tantum habeas centum aureos, non habes ratione tui juris, nisi valorem centum aureorum, proindeque retinendò dominium retines valorem centum aureorum: atqui si retinendò dominium posses accipere aliquid pro usu centum aureorum, eodem modo posses transferendo dominium in alterum accipere 100. aureos, ac proinde accipiendo ex contractu aliquid ab eo, cui das usum & accipiendo 100. aureos ab eo, cui das dominium, obligas alios ad reddendum tibi plus, quam ipsis dederis; ergo &c. Confirmatur. Qui mutuat 100. aureos, non potest excusari ab usura, si ex vi mutui exigat plus, quam 100. aureos, quamvis dicat se exigere 100. pro dominio, & aliquid aliud pro usu: unde si liceret id facere, eo ipso usura esset licita: atqui liceret id facere, si posset vendi simplex usus facti retinendo totum dominium, ut ex dictis constat; ergo &c.

391. Affero 5. Simplex usus facti ordinatus in Religiosi utilitatem est materia paupertatis Religiosæ, proindeque si absque ulla Superioris facultate Religiosus autoritative circa illud se gerat in re gravi, committit peccatum lethale contra votum Religiosæ paupertatis, nec eam rem sibi retinendo à proprietatis vitio erit immunis; ita ferè cum omnibus Theologis Eximius Doctor Tom. 3. de Religione lib. 8. de paupertate Cap. 11. & 15. contra unum, vel alterum, quem sequitur Caramuel in Theologia fundamentali Romanæ editionis à num. 1424. Probatum 1. Per votum Religiosæ paupertatis duo promittimus, primò quidem est, exuere nos omni jure domini directi, vel utilis, & reddere nos incapaces talium jurium. Secundum est, non uti rebus tempo-

ralibus ad commoditatem nostram, nisi instar pauperum, & ex licentia Superioris; ex quo fit, ut etiam usus facti superfluis, & exorbitans sit contra votum, etiam si fiat ex licentia Superioris, ut bene monet Cardinalis de Lugo Disp. 2. sect. 3. nu. 52. quia est contra statum pauperum, quem profitemur; unde vi talis voti manet graviter prohibita Religioso ex fine paupertatis actio sua propria, qua ex sua autoritate, sive absque Superioris facultate sibi assumat in propriam utilitatem usum talium rerum; atqui eo ipso, quòd vi voti maneat Religioso prohibita illa actio sua propria ex fine paupertatis, continet malitiam gravem, & vitium proprietatis contra paupertatem; siquidem causa per accidens physica fit per se moralis ratione prohibitionis, continetque totam malitiam causæ per se, ut constat à numero 161. & 166. de actibus humanis; ergo &c.

392. Confirmatur & explicatur hæc ratio: licet actioni physice, qua utor re in meam utilitatem, per accidens adveniat, ut fiat sine licentia Superioris, & contra jus proprietatis alterius, vel potius sit ex Superioris, & Domini licentia, proindeque pure physice considerata sit in hoc sensu causa per accidens violativa juris proprietatis: at si consideretur affecta voto, quo ex fine paupertatis, & ne sim proprietarius, obligor non solum ad non utendum re contra jus alterius, verum etiam ad non utendum illa absque facultate Superioris: actio illa ut affecta eo voto, licet fiat ex voluntate Domini, & non sit contra justitiam, si tantum fiat sine licentia Superioris, continet in linea morali totam malitiam actionis proprietatis per se violativæ talis voti, proindeque est causa per se moralis talis transgressionis; licet enim actio physica non possit per votum sibi extrinsecum physice immutari, neque fieri causa per se physica, ac potest moraliter immutari, & fieri causa per se moralis: sic comestio pure physice considerata non est per se contra Religionem, ac ut ex fine Religionis prohibita ante sumptionem Eucharistiæ, fit causa per se moralis contra Religionem, & qui sciens, & volens accederet sanus ad Eucharistiam non jejunus, committeret peccatum irreligionis, sive sacrilegii, quia ex fine Religionis est illi prohibita ante sumptionem Eucharistiæ talis comestio: unde quia præceptum illud non extenditur ad moribundum, moribundus licet communice non jejunus, non committit peccatum sacrilegii; ergo eo ipso, quòd ex fine, ne sit proprietarius, & ne violet votum paupertatis, sit Religioso prohibitus simplex usus facti in suam utilitatem autoritative assumptus, sive absque ulla licentia Superioris, si illum sibi assumat absque ulla licentia Superioris, erit proprietarius, & violabit votum paupertatis, quò respexisse videtur Clemens V. in Clementina citata: *exti de Paradiso*, multò post me-

dium, ubi sic habet: *dicere autem, sicut a liqui asserere perhibentur, quod hereticum sit, tenere usum pauperum includi, vel non includi sub voto Evangelica paupertatis, presumptuosum, & temerarium judicamus.*

392. Probatum 2. ratione fundamentali Eximii Doctoris: regula generalis, quæ ex Jure Canonico, & SS. Patribus infertur ad cognoscendum, quando acceptio alicujus rei sit in Religioso actus proprietatis; & violatio sui voti, hæc est, videlicet, quando Religiosus privatus ad sui utilitatem accipit aliquid sine licentia sui Prælati, & ideo censetur tunc peccatum mortale ex genere suo, nisi ex levitate materiae fiat veniale: atqui talis acceptio sine licentia non solum contingere potest circa jus proprietatis alterius, sed etiam circa simplicem usum facti; ut ex terminis patet: ergo si circa simplicem usum facti fiat, satis est ad actum proprietatis; & ad violationem voti paupertatis. Probatum maj. ex Cap. *Cum ad Monasterium de statu Monachorum*, ubi postquam prohibetur Monachus habere aliquid proprium, subjungit textus: unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur; quod perinde est, ac dicere, esse actum proprietatis alicujus ad propriam utilitatem accipere absque licentia Superioris.

394. Quare omnes antiqui Patres Monachorum Basilii, Benedictus, Augustinus, Bernardus, & alii, cum ajunt, proprietatem non esse licitam Monacho, statim declarant, non licere illis aliquid accipere sine licentia Superioris, ut patet in Cap. *Non dicatis* 12. quæst. 1. & in Cap. *Joannis Frater de Regularibus*, & habetur satis expressè in Trident. Sess. 21. Cap. 2. ubi Religiosi prohibentur habere aliquid tantquam proprium, solumque ipsis permittitur usus bonorum mobilium ex facultate Superioris, statimque subjungitur, quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & passiva voce privatus fit, atque etiam juxta suæ Regulæ ordinationes puniatur; quod intelligi debet, ait Eximius Doctor. C. 11. numero 2. illum puniendum esse tanquam proprietarium; unde quæcunque talis acceptio, & usus rei absque licentia Prælati satis est ad peccatum proprietatis, & voti paupertatis violationem.

395. Confirmatur & explicatur eadem ratio ex doctrina Cardinalis de Lugo: satis est ad vitium proprietatis contra paupertatis votum, quod Religiosus, qui ligatam habet suam naturalem potestatem eam extendat ad id, quod sibi prohibitum est ex fine paupertatis: atqui naturalis potestas Religiosi, ne se extendat ad ejusmodi rem sibi utilem, est sibi eo modo ligata non solum à jure proprietatis, quod alter habet in ea re, sed etiam à voluntate Prælati nolentis concedere usum talis rei: ergo

ut non peccet actione proprietatis contra votum, satis non est, quod Dominus proprietatis ex parte sua ligamen tollat concedendo licentiam, sed etiam requiritur, quod ipse Superior tollat ex parte sua ligamen concedendo licentiam: ad eum modum, quo, qui tenetur audire sacrum die festo, & ratione præcepti, & ratione voti, non satis est, quod relaxetur votum, nec omittat peccatum mortale non audiendò sacrum, quia licet sit solutus à voto, manet adhuc ligatus præcepto: ergo si ea re utatur absque ulla licentia Superioris, committet peccatum proprietatis contra votum. Addit etiam Exim. Doctor num. 42. quod hoc ipsum confirmat etiam usus, & communis sensus Religiosorum, qui hoc modo, & intentione intelligunt emitti votum paupertatis; ideoque num. 43. subjungit, parum refert distinguere usum à dominio, quod ad præsens attinet, quod satis probatum est rationibus à nobis supra adductis.

396. Fit 1. Religiosum non peccare contra paupertatis votum in usu rerum circa quem vel physice, vel in æstimatione morali se habet merè passivè, vel ut purum instrumentum, nihil ad suam utilitatem ordinando; ratio est, quia ut peccet contra paupertatis votum in usu rerum, requiritur, quod extendat suam physicam facultatem ad id, ad quod eam habet ligatam vel vinculo proprietatis alterius, vel voluntate Superioris, cui in rerum usu submittitur, ut ex dictis constat: atqui non habet eo modo ligatam suam physicam potestatem circa usum earum rerum, in quo vel physice, vel in æstimatione morali se habet merè passivè, vel in quo se habet ut purum instrumentum, nihil ad suam utilitatem ordinando; ergo &c. Probatum mi. nullus Theologus damnat Religiosum tanquam reum voti paupertatis, licet possit accipere aliqua comoda ex aliorum libertate circa ea, quæ vel physice, vel in æstimatione morali contingunt, & se habet merè passivè, E. G. si secularis accendat ignem ad calefaciendum Religiosum, si comburat aliquid odoriferum pretiosum ad ejus olfactum recreandum, si ostendat illi aliquid spectaculum, cujus visio esset alioquin pretio digna, si eum invitet ad equitandum secum, vel eundem simul in curru, quod etiam est pretio æstimabile, eo quod quantum ad actionem expendendi rem pretio æstimabilem, Religiosus se habeat physice merè passivè.

Idem prorsus dicendum esset, si Dominus per manus Religiosi projiceret gemmam in mare, vel aromata in ignem, quorum sufficium ambo fruerentur; nam quamvis Religiosus tunc non se haberet merè passivè in consideratione physica, at in æstimatione morali merè passivè se haberet, cum ea actio apud prudentes eo modo se habeat, ac si à Domino ipso fieret, & Dominus ipse gemmam in mare,

vel in ignem projiceret. Idem etiam dicendum est, quando Religiosus aliquam pecuniam acciperet à Domino, ut eam redderet tertiæ personæ, quin in ipsum ulla utilitas redundaret, vel quando illam acciperet ad elargiendam pauperibus nomine Domini, nulla profus utilitate Religioso adveniente; nam in his Religiosus apud omnes prudentes censetur instrumentum purum: ergo quando Religiosus se habet vel physice, vel in æstimatione morali merè passivè, vel ut purum physicum instrumentum Domini, non habet ligatam potestatem suam physicam, neque à jure proprietatis Domini, neque à voluntate Superioris, ac proinde tunc per talem actionem nequaquam violat votum paupertatis.

398. Fit 2. esse contra paupertatis votum illas, similesque actiones exercere, quando Religiosus non se habet aut physice, aut in æstimatione morali merè passivè, neque ut purum physicum instrumentum, sed illas in commodum, aut utilitatem suam vertit per actionem, qua in æstimatione morali activè se habet: ratio est, quia, ut bene notavit Exim. Doctor loco citato num. 395. usus vel communis consensus Religiosorum votum paupertatis elicientium planè demonstrat intentionem ira voventium esse, reddere se incapaces ad ejusmodi actiones non solum sine facultate Domini proprietatis, sed etiam sine facultate Superioris; unde ex fine paupertatis sunt ejusmodi actiones Religioso prohibitæ. Quare licet Dominus mitteret cibos Religioso retinendo sibi dominium & usum juris, & solum volendo, quòd Religiosus illos consumat nomine mittentis, non posset Religiosus illis cibis uti sine licentia Superioris absque violatione voti paupertatis; etenim, ut bene notavit Card. de Lugo Disp. 2. sect. 3. num. 51. hæc maximè pendent ex morali æstimatione, & intentione voventium, quæ ex ipsa praxi, & communi omnium existimatione colligitur, ex qua quidem praxi, & existimatione Religiosus ita se gerens censetur violare paupertatem, eò quòd tunc non se haberet neque physice, neque in æstimatione morali merè passivè, aut tanquam purum instrumentum, & quidem sicut Religiosus non potest bibere nomine alterius, ita neque manducare, aut eas actiones nomine alterius exercere.

399. Quapropter approbare non possum, quòd docet ipse Cardin. de Lugo, nempe Religiosum invitatum posse præsentè Domino quæcumque etiam præiosa comedere absque licentia Prælati, quin offendant votum paupertatis. Ratio ejus est, quia ipse non utitur activè cibis, sed solum passivè, & Dominus est, qui illis utitur consumendo cibos per os Religiosi; sicut si per manus Religiosi projiceret gemmam in mare, vel aromata in ignem, quorum suffitu fruerentur. Hæc inquam, falsa omnino censeo, nec approbare possum; quandoquidem Religiosus in æstimatione mo-

rali tunc censeri non potest merè passivè se habere; sicut enim non potest in æstimatione morali Dominus alii, quamvis alatur Religiosus; neque potest dici, quòd manducet Dominus in eo casu per os Religiosi; neque invenio in his connexionè doctrinæ: nam ipse Eminentissimus eodem loco docet, & quidem bene, quòd Religiosus non potest, quin offendant votum paupertatis, retinere cibos apud se, quamvis Dominus protestetur retinere apud se dominium ipsum; ita ut in cella sua Religiosus illis utatur nomine Domini. Discrimen autem assignatum à Lugo inter utrumque casum, nimirum quòd in primo casu manducatio fit præsentè Domino, non in secundo, futilis omnino apparet; nam si ex præsentia Domini potest reddi licita absque facultate Superioris ea comestio, posset Religiosus retinens cibos illos in cella sua expectare, ut Dominus illum inviseret, & tunc manducare illos præsentè Domino sine licentia Superioris absque violatione paupertatis, quòd nec Eminentissimus ipse concederet, nec concedi potest; ergo in eo casu Religiosus in æstimatione morali reverà cenendus est activè se gerere, ac proinde violare votum paupertatis.

400. Fit 3. facile concordari posse duas sententias quoad speciem oppositas circa casum frequentem in hac materia. Quæritur enim, an peccet Religiosus contra paupertatem accipiendò pecunias à Domino, ut eas distribuatur nomine Domini inter pauperes, quando Dominus pecuniæ non determinat pauperes, sed relinquit Religioso eorum designationem; aliqui enim, quos citat Diana Parte 1. Tract. de paupertate Religiosa Resolutione 29. censent, esse contra paupertatem, si Religiosus nomine alterius liberè disponat dando elemosynam. Citat pro hac sententia Diana Turrimum, Roderiquez, Vasquez, Layman, & alios; alii verò negant, quos inter Sanchez Libro 7. de Regularibus Cap. 30. Faustus in thesauro Religiosorum Libro 8. quæst. 109. art. 1. Cæterùm duplex ista sententia facile potest ad concordiam adduci; nam si Religiosus eo animo acciperet pecunias, ut sibi honorem conciliaret, & aliquos sibi adstringeret, hos alii præferendo, proindeque illud in utilitatem, & commodum Religiosi redundaret, sicut ex eo titulo redundare solet in Domini proprietarii utilitatem, & commodum, censeo, quòd tunc acceptio, & distributio pecuniarum esset contra paupertatem; at si hoc fieret non propter suum commodum, sed tantum ad eas pecunias ut fidei instrumentum dispensandas, ita ut Religiosus purè instrumentaliter se haberet, censeo, quòd tunc non offenderet votum paupertatis juxta doctrinam, quam assert Eximius Doctor Lib. 8. de paupertate Cap. 15. num. 15. & Card. de Lugo citata sect. 3. numero 54. Reliqua, quæ hic addi possent, constabunt clariùs ex solutione Objectionum.